

Salve, mi Plaurere. Gratissimi fuerunt libelli tui. Perlectos a fratribus dedimus ad cancellariam senatus nostri; nam huiusmodi timidioribus animos addunt, et profecto in tempore venerunt sparsis in me contumeliis Fabrilibus. Respondi equidem illi sine stomacho, sed vere: excusavi me apud senatum imperii, apud principes aliquot et maxime apud eos, qui stant a parte Verbi.

5 Iuvenis ille princeps Hessorum ardentissima videtur ad gloriam Dei emulatione propendere, qui cum Fabro de rebus controversis quotidie prope disputat atque convincit. Is libellum nostrum e sinu prominentem velut aliud agens Ferdinando ostentavit, qui mox utendum rogavit. Tum Hessus noster: "Tuam," inquit, "celsitudinem eo libenter donabo." Ita nunc Ferdinandus conscius est scelerum Fabrilium. Fabula est Faber Spyris, adeoque confido fore, ut
10 servis domini tam onerosus amplius non immineat. Lege obiter, ut habeas, quo pro veritate et amico satisfacias.

De lupanaribus nihildum impetravimus. Respublica nostra corruptissima fuit, adulteria vulgatissima; nullus vicus a scortis liber fuit. Toties aciem adversus hanc abominationem dereximus; verum Dominus copias nostras alio deduxit novis aliunde negotiis interturbantibus. In
15 adulteros nihildum ferme sancitum est, cepit tamen ignominia esse publica. Scortatorum autoritas viluit publice, quae illis pridem sancta fuit, beneque spero nos aliquando faciem iustae ecclesiae habituros. De lupanaribus videmur dissimulaturi, si quae inicio ceu per occasionem erigerentur; repurgata in uno aut altero angulo fece ista spes esset et inde penitus eiiciendi. Ex verbo Domini pius magistratus instituere lupanar non potest, neque nos perpetuo connivere
20 possumus; atqui tenemur ad inculpatores mores vulgi vitam pro viribus revocare. Siquidem fideles sunt, qui audiunt praedicantes, proclive erit; si infideles, ut est pars maior, certe conatus talis pro iusta officii nostri perfunctione imputabitur. Vale. Spyris verbum maiorem in modum crescit. Delecti ex senatu imperii, quibus incumbit de verbo praedicando deliberare, partim evangelio favent, partim frigide impugnant; aliqui tamen odiosissime impugnant, quos perdet Dominus,
25 scio, nam obsistunt veritati contra omne iudicium. Tanta modo libertate praedicatur, praesertim Spiris. Argen[torati]. 25 Augusti anno [26].

Zwickius iuvenem, de quo nuper scripsit, mittat, quem iubeo salvere. Praeterea fratrem ac sororem, in Domino ut pergant, vehementer optamus; sunt enim te digni, eruditione, probitate ac religione insignes. Tuis symmistis nomine meo ac fratrum nomine salutem dicas, qui te quoque
30 in Domino valere optant.

V. Capito.